

Mar. Luther.

Wittenbergae,
1523.

J
3576


166.



Cochlaeus, Johann
Sommer 1547
oo
Rom

Deutsche Ausg. Pong 2080 Blk





ADVERSVS ARMATVM

VIRVM COKLEVM.

MARTINVS LV

THERVS.

VVITTENBERGAE,

ANNO M. D.

XX III.

Colum mulierem decet.



Vilheylo Niffeno suo, Martinus Lutherus
gratiam & pacem in Christo.

Rma virūq; cano, Mogani qui nuper ab oris
a Leucoream fato stolidus, Saxonaq; venit
Littora, multū ille & furiis vexatus & cestro
Vi scelerum, memorem rasorū cladis ob iram
Multa quoq; & Satana passus, quo perderet urbem
Inferretq; malū studiis, genus vnde malorum
Errorūq; patres, atq; alti gloria Papę.

Si ineptire videor tibi, mi Vilheyllē, pro istis
Bacchanalibus, cogita quod tu mihi auctor es huius
ineptię satis imperiosus, qui me tali homini cogis re/
spondere, quē prę morbo animi iam dudum mente
captum esse, non solū tu belle nosti cū tuis Franco/
fordiensibus, sed & ipsemet libellū hunc nulla vide/
tur causa edidisse, q̄ vt mania suam testatam faceret
orbi. Quid est em̄ iactare arma virorū, nisi mania?
scilicet postq̄ per me dominus, Papam, Episcopos,
Monasteria & Academias, totūq; illud corpus Behe/
moth, non solū percussit, sed & pene iam palā tra/
duxit p̄ orbē, illa tandē festina & festina testudo ar/
ma requirit, Papa sentit vulnus, Papistę queruntur
suum casum & vndiq; plurima mortis imago, & ille
negat mihi esse arma? imo vt cū insano cerebro in/
saniam. Si non fuerunt mihi arma, quid sic plorat?
quid gemit? quid eiulat testudo ista, tāta per me esse
facta? Cur queritur tanto vlulatu, Philippū esse a me
perditum, quē tanti facit? Si hæc stipulis & plumis



L 2, 3593

effeci aut solis, quod insanit, conuiciis, cur tanto impetu armorum in me surgit? cur non contēnit Hector iste tam puerilem & muliebrem Lutherum?

Deinde siquid reliquum in eo esset salui cerebri, secū cogitasset pculdubio fortunā haften⁹ aduers⁹ Lutherū bellātium, quib⁹ ne calcar quidē tangere posset (vt aiunt) Coclear istud. Eccius certe in scholasticis errorib⁹ incōparabilis ad dñm Coclear, deinde & Pontificiis Bullis & viribus, cōsensuq; totius Behemoth in me grassatus, nihil nisi ignominia retulit. Hoc sine armis factū gloriatur popinariū istud Coclear. Pharrhisiensis Academia sic sese traxit in hac causa, vt immortalis sit impiissime ruditatis eius infamia. Et oportuerat sane dñm Coclear, si sapuisset, estimare, quid vna testudo cum suis fugitiuis cornuis tentet aduers⁹ illum, quē Pharrisien. Louanienses, Colonienses, Romanēses, & quicquid est virium in corpore Papæ superare non potuerūt.

Sed erat vna solatii spes, quod liceret gloriari. Ego scripsi vnum librum contra Lutherū. Siquidē multis aliisq; libris in me scriptis, nihil est opinionis & glorię q̄ quod hoc titulo vehūtur, Contra Lutherum. Ego citra & præter votum meum in publico exaltatus per Christum, cogor ista stercora mecum in sublimi vehere, vt vulgo dicitur de luto rotis hærente, vt semper summa petit liuor impotens.

Iam quantum est demētię argumentū, quod gloriatur sese Vuormatię sic mihi locutum, vt ad lachrymas cogeret. Nō imputabo hoc nequitię, sicut

dixi, sed dementię malo eū insanum & misericordia
dignum, q̄ malum & odio dignum haberi, alioqui si
compos sui sic impudēter mētiretur, quis non Co/
cleum insignem nebulonem iudicaret? scz iste Pe/
ricles Lutherum ad lachrymas moueret, qui sic pue/
riliter loquebatur & agebat omnia Vuormaciæ, vt
ab omnibus qui aderant, etiam me inuito & prohi/
bente tanq̄ fatuus rideretur. Testem appello suam
ipsius conscientiam, si sanus meminit, quantum vel
ab vno D. Hieronymo Schurff salis & nasi passus
est, tum maxime, cum vellet sapientissimus, & pror/
sus armatus ille Cocleus videri, sensit em̄ & indigne
etiam tulit.

Sic & hoc mendacium morbo tribuerim non
malicię, quod iactat triumphum, nempe, quod obla/
tum duellum recusarim. Teste etiam Cocleo, sic res
habet. Cocleus siue propria stultitia siue alienis ver/
bis subornatus, postulabat a me, vt fidem publicam
Cæsaris resignarem, tum sese velle mecum disputare
palam. Hic anteq̄ ego responderē, cōmuni cachyn/
no excepta hominis absurditas est. Pars eum insa/
nire putabat, vt qui disputare nollet, nisi fide publica
postposita, quasi disputari non possit salua fide pu/
blica. Pars vero proditorē malignum arguebat, qui
non disputationem quęreret, sed vt exutū fide pro/
deret Papistis, Pessimo nomine sese tum Cocleus &
omnium odio per hoc verbum oneravit, quo se im/
perpetuum non exonerabit. Et nunc gloriatur pul/
chra ista testudo, sese mihi recusanti duellum obtu/

lisse & cantat victorias, cum ego nec disputationem
recusarim, nec fidem publicam offerre detrectarim.
Vides itaq; cuius autoritatis esse debeat isto libello
Cocleus, quem tam impudentibus mendaciis auspi/
catur, nec dum pudet eum Vuormaciæ fuisse deri/
sum, gloriatur vero in turpitudine sua.

Hoc nimirū est, quod suam illam insaniā hoc
libello ornare anhelat, quod adhuc mihi vnus duel/
lum offert, magnificis verbis & minis id agēs, vt qui
legunt, ex animo eum loqui credāt, obsecro cur hoc
non faciebat Vuormatię vbi vallatus erat Cesaris &
Papę tutela & presidio? Sed testudini conuenit hæc
tarda & sera gloriatio post amissos triumphos. Cur
non adhuc me accedit Vuittembergam aut vocat in
locum tutum? Quid est, quod inanibus verbis cre/
pat testudo ista? scz quia nouit nunq̄ fore, vt mecū
congruere possit, secure triumphāt hic arma viri sine
aduersario. *Du arme schnecke / was solltistu disputiren?*
Testudo es & aliud nihil, & cornua tibi testudinis
sunt formidine tantum & fuga nobilia, quę vbi ni/
hil sit, quod obstat, satis audacter sese in vacuum
erigunt, vbi autem vel aranei filum occurrit, retro
fugiunt.

Sed ego plane hoc tribuo diuinis consiliis, vt
Papę & Papistę fere nullos habeant Patronos, nisi
qui vel insigni iscitia vel mēdaciis impudētib. semp
suam autoritatē traducant, ne quis amplius per abo/
minationē Romanā decipiat. Null⁹ adhuc aduers⁹

me scripsit, qui non sit insigniter & palam ac multis modis mentitus. Plorandā certe sortem Papæ, quod sui non nisi mēdacijs protecti in arenam descendūt, nec desinunt tamen mentiri postq̄ multos vident a me palam conuictos, vno furore mentiendi omnes pergunt. Habes ergo Nisene hic partem armorū, quæ virum illum decent, & quem decerent arma talia, nisi talem virum?

Veniamus nunc ad rem ipsam & reliquam armorum partem videamus armatę testitudinis, imitabor autem exemplum domini Coclearis, vt vnū aut alterum articulum, cuius maxime referat confutem. Nam & ipse non totum Lutherū aggressus est, sed tres illas priores propositiones a me assertas aduersus Bullam Eccioleoninam. Igitur hoc maxime vrget toto libello Cocleus, vt falsum & hæreticum faciat, quod passim asserui. Sola fide nos iustificari, Atq; vt hic aliquod iucūdū audias pro ratione istorum dierum, vide quæso mi Nisene arma ista vulcanissima masculinissimi viri, Postq̄ multis Patrum dictis docuisset, p̄ Baptismum nos ablui a peccatis, per Christum deleri peccata, charitate operiri multitudinem peccatorum & siqua sunt similia, tandē cogit perorator ille omnia in hunc suauissimū epilogū dicens. Non ergo sola fides iustificat iustificat em̄ spiritus sanctus iustificat & gratia iustificat & Baptismus iustificat & Christ⁹, iustificat & charitas &c. Inūc Luthere & nega Cocleum esse armatū virum. Tu Nisene forte vel dirumperis indignatiōe, vel fa/

tiscis risu. At interim tuo imperio ego tēpus perdo,
cum insulsa ista & stolidā testudine, quæ aduersus
me scribens, non tantum saltem habuit cogitantię, vt
argumēti vim, seu vt cum testudine Aristotelissem,
materiam subiectam prævideret, vt sciret, quid cōtra
quid scriberet.

Et satis miror tam diligentem compilatorem,
non auxisse istum Epilogum, cum Paulus ad Ro. 11.
scribat se conari, vt aliquos ex Iudeis saluos faciat,
ergo etiā Apostolus & prædicator saluat, non sola
fides, quare Lutherus hereticus, Et cur non iuue/
mus Coclear istud in armis suis tam strenue sudans?
& in ordinem statuamus modos saluandi satis ma/
gistrāliter sic. Pater saluat, Filius saluat, Spiritus
sanctus saluat, Christus saluat, gratia saluat, fides sal/
uat, charitas saluat, sacramentū saluat, prædicator sal/
uat, opera saluant. Decem nimirū sunt hic saluato/
res, ergo nō sola fides saluat, vt taceam illum vulga/
tissimum saluatorē, nempe, verbum dei, quod verbū
salutis dicitur, eo quod saluare possit animas nos/
tras, teste Iacobo. Et vide sapientiam nostram, istos
modos saluandi volumus pulchre cum suis attribu/
tis & propriatis distinguere plane Magistrāissime,
Pater saluat autoritatiue, fili⁹ mediatiue, spirit⁹ sct⁹
applicatiue, Christ⁹ meritiue, gratia reputatiue, fides
subiectiue, charitas actiue, sacramentū significatiue,
prædicator ministratiue, verbum doctiue, opa pro/
batiue, oīa armatiue & testudinatiue & Cocleatiue,
ergo non sola fides iustificat, ergo Lutherus est he/

reticus, ergo Cocleus est armatus vir.

Vides ergo nullū librū esse tam malum, quin in aliqua parte sit bonus, vt Plynus putauit. Nam nisi Cocleus hic nos docuisset, salutē etiam per deū, per spiritum, per sacramentū venire, vbi staret Ec/lesia? vbi fides? vbi vllus Christus? Gratias Atlanti nouo, qui ruiturum cœlū robustis istis & bene ar/matis humeris sustentat. Sed satis sit lusum in sto/lidum istud caput, pro amici obsequio, serio de istis rebus paululū loquamur, non propter Cocleum, qui ceu porcus indignus est, vt margaritū istud precio/sum ante eum proiciatur. Sed propter eos, quos ve/hementer mouet, quod dixi, Sola fide nos iustifica/ri, cum in Apostolo dictio illa, sola, non inueniatur & causantur temere & impie a me adiectā, pro meo statuendo errore. Huius ergo temeritatis meę ratio nem reddā, & me cum modestia expurgabo, vt vi/deant, & me posse humiliter & modeste rationē red/dere, vbi tales fuerit, q̄ digni sint audire verbum dei.

*Iustificamur ergo
ex fide*

Prīmū ego conatus sum reddere, q̄ potui cla/rissime vim Paulinę sententię quā Sophistę diutur/no & sacrilego verborū abusu penitus obscurarūt. Nam vbi ad Romanos de fide & operib⁹ disputat, aduersus iustitiā operū, certe id vehementissime vr/get, vt iustificationē operibus in totū adimat, & soli fidei tribuat. Hęc em̄ sunt verba eius, Ex operibus legis nemo iustificatur. Et iterum, arbitramur homi/nem iustificari ex fide sine operibus legis. Et iterum omnes peccauerūt & vacui sunt gloria dei gratis aut̄ iustificati.

iustificati per fidem &c. Et Roma .14. peccatū est,
quicquid non ex fide est, Deniq; hæc confirmat po-
tentissimo exemplo Abrahę, qui iustificatus est non
ex circūcisione, quod erat optimū & egregium opus
diuinitus mandatū, & omni obedientia perfectum,
sed fide ante circūcisionem. Negatq; eum habere
gloriā corā deo, si vllis operibus sit iustificat⁹, scrip-
turam vero dicere, fide esse iustificatum &c.

Hæc certe sunt fulmina diuinę autoritatis. Tu
nunc vide, an non Paulus vehemētius asserat, sola
fide nos iustificari, q̄ ego, licet vocabulo, sola, nō vta-
tur, quo ego sum vsus. Nam dicere, opera nō iusti-
ficant, sed fides iustificat, certe robustius affirmat
solam fidem iustificare, q̄ si dixeris, sola fides iustifi-
cat, nisi quod hoc clarius sonat, q̄ illud, dum per im-
pios Sophistas, Pauli tum Phrasis, tū sententia ne-
glecta perit. Loqui aut hoc loco Paulū de iustifica-
tione spirituali, seu vt Sophistę loquuntur, formali &
subiectiua, nulli nisi vni Cocleo est ignotū. Cō-
tendit eum contra opera & iustitiā legis, & prorsus
in re conscientiarū versatur, vbi sola fides totum est,
opera nihil sunt, imo opera fructus sunt iam iustifi-
catę per fidem arboris, vt etiam iuxta cōmunem scn-
sum, impossibile sit operibus iustificari.

Proinde satis ridiculū est in hunc modum ca-
uillari, sola fides iustificat, ergo spiritus sanctus non
iustificat, vel spiritus iustificat, ergo non sola fides,
cum his disputationibus nunc non sit locus, sed de
fide & operibus tantū sit quęstio, an iustificationis

B

quicquid sit operibus tribuendum, quibus cum nihil tribuat Apostolus, soli fidei absque dubio asserit. Nec puto quemquam tam vecordem, qui crediderit me negare voluisse, per Christum, per spiritum sanctum, per verbum iustificari, nisi Cocleum, qui hoc libro satis docuit sese prorsus non intelligere, quid sit fides, gratia, Christus, charitas, sacramentum, & a nullo credo suum ipsius librum minus intelligi quam a seipso.

Ego certe meis assertionibus hoc egi, dum soli fidei iustificationem tribui, ut impia studia Sophistarum & Monachorum confutarem, qui totum orbem seduxerunt in fiduciam operum. Sciebam eos non negare, saltem verbo, iustificationem per Christum, per Baptismum, per spiritum contingere, sed videbam eos negare solius fidei esse iustificare, operibus vero totam fere gloriam iustificationis tribuere. Quod nisi fecissent, non essent tanta examina, Monasteriorum/Collegiorum/Scholarum/& infinitorum studiorum per opera iustitiam querentium. Omnia enim haec super operantur, non super solam fidem, Et fingunt fidem, ne scio quid in anima latetis formae, quae sit veluti pars, non summa omnium virtutum. Quare non est ut verbum meum extra argumentum seu materiam subiectam trahas. Et ubi de fide & operibus disputo pro conscientiae iudicio instituendo, tu de potestate dei fidem creatis cogites.

Porro si qui sunt, qui per opera legis in Paulo, non omnia opera, sed tantum ceremonialia intelligunt, cum illis non censeo disputandum esse, saltem hac hora,

quod videantur de industria velle Paulum nescire.
Certe circumcisio Abrahe fuit optimū opus omni (ut
dixi) obedientia ornatū, atq; adeo iam iustificati A-
brahe, ut nō posset nō summe placere deo, ceu quā-
cunq; opus, quod illi bonū audeāt definire, & tamē
huic Paulus adimit iustificationē. Quod aut Petrus
dicit nos per Baptismum saluari, quis nō videt, hinc
nihil contra me strui, quasi hinc falsum sit, sola fide
iustificari? Certe Baptismus sine fide nō iustificat,
Fides aut sine baptismo iustificat, ideo non pōt vlla
pars iustificationis tribui baptismo. Alioqui si vlla
parte iustificaret, nō liceret negare, Baptismum sine
fide iustificare. Cū autē ei denegetur, soli fidei recte
relīquitur. Vult ergo Petrus per Baptismū ceu sig-
nū externū fidem prouocari & exerceri quę saluet,
sicut nec verbū ipsum, quod longe preualet signo
visibili, nullū tamē per sese iustificat nisi credētem.
Sic Epistola Ebreorū dicit, Nihil profuit eis sermo
auditus nō admixtus fidei in his quę dicebantur.

Quod si qui sunt ex patribus, qui senserunt sa-
cramentum sua virtute iustificare, esto etiā Augusti-
nus, ut Cocleus cōtendit, nihil moror, hominū sunt
dicta, sibiipsis sepius pugnantiū, & pleraq; humano
sensu extra scripturas docentium. Nos certissimam
scripturā sequimur, quę sine fide, nec verbū nec sig-
num prodesse dicit. Nam hoc quod maxime
iactat Cocleus, paruulos cū sint sine fide, per Bap-
tismū iustificari, fortiter negamus. Sed dicimus cū
Aug. Nō sacramētū, sed fides sacramēti iustificat. Et

Baptismus sine fide

iterū, iustificat, nō quia fit, sed quia creditur. Quod
si Aug. alibi contrariū dicit, sequimur eum, vbi cum
scriptura sentit, & relinquimus, vbi citra vel contra
scripturam loquitur. Frustra igitur corrasit tot Patrū
dicta, quasi nos in hominum verba coacturus, cum
toties testati simus, nos in re conscientiarum nullius
hominis, sed solius dei verbum amplecti, quod soli
deo, nulli homini conueniat, conscientias regere &
docere.

Non tamen negamus paruulos esse Baptisan
dos, nec asserim⁹ eos Baptismū accipe sine fide. Sed
dicim⁹ ad Baptismū eos credere, per vim verbi, quo
exorcisantur, & per fidem Ecclesie eos offerentis &
eis fidem orationibus suis impetrantis. Alioqui me/
ra & intolerabilia essent mendacia, quando Bapti/
sans a paruulo querit, an credat, non Baptisaturus,
nisi vice eius respōdeatur, credo, Vt quid interrogat,
an credat, si certum est eos non credere? vt Cocleus
contendit. Esto, Augustinus sic aliquando dicat. Sed
Cocleo satis sit, esse sic ab homine dictū, nos volu/
mus hoc dictū diuinis testimoniis probatū. Quin
asserimus, paruulos prorsus nō esse Baptisandos,
si verū est, eos in Baptismo non credere, ne illudatur
maiestatis sacramētum & verbum, Debem⁹ autē &
hunc negatē in paruulis fidei errorem Sophistis, qui
hominū dicta, sicut animalia immūda vorāt sine iu/
ditio, & simul contraria docēt, dum negant paruulo
esse fidem, & tamen vt Baptisari possit, exigunt ab
eo fidem.

102

obsid.

Gratiam vero iustificare sic debuit intelligere
Cocleus, vt fidem sciret esse ipsam gratiam, & non
distinctam quandam formam vltra fidem & chari/
tatem fingere, seu ex fictis fingentibusq; suis Ma/
gistris Sophistis asserere sic nō fuisset ei opus, tam
inepte arguari. Gratia iustificat, ergo non sola fides
iustificat, saltem vt ipsi de gratia loquuntur. Cate/
rum gratia scripturæ vsu, fauorē dei significat quo
nobis ipse bene vult. Et hic nos iustificat, idest gra/
tuito donat fidem, qua sola iustificamur. Iam in
tota scriptura non legitur charitati tributam iustifi/
cationem, cum potius sit fructus fidei iustificantis.
Gal. 5. fructus spiritus est charitas &c. Error autem
vulgatissimus inde manauit qđ verbū Petri ex Pro/
uerbiis Salo. sumptū perperam intelligunt. Non
em̄ de propriis cuiusq; sed de alienis peccatis loqui/
tur, quando dicit. Charitas operit multitudinē pec/
catorum, vt sit sensus charitas non irritatur, omnia
suffert, non offenditur, oīa sustinet, vt non possit
tam multū in eam peccari, quod non ferat, tegat, ig/
noscat & parcat, iis aut̄ operibus nemo iustificatur,
sed nisi iustificatus iam sit, hos fructus charitatis nō
profert. Hunc aut̄ esse sensum ex Prouerb. 10. ca/
pere licet per antithesin, odium suscitatur rixas, vniuer/
sa aut̄ delicta operit charitas, hoc est, qui odit proxi/
mum, etiam in bono illius opere querit, quod calū/
nietur, qui aut̄ diligit, contrariū facit, vt etiam om/
nia peccata proximi tegat & toleret.

His credo satis esse respōsum pro defensione/

ne trium propositionū mearū a Cocleo damnatarū,
& fortiter manere hoc dogmata meum, Sola fides
iustificat, per hoc tamen non oportere negari, quin
verbum, sacramentū, Christus, prædicator, Spiritus
& deus pater iustificet. Deus em̄ oīa facit, vt iusti/
ficemur, Christus meruit, vt iustificemur, Spiritus
sanctus exequitur meritum Christi, vt iustificemur.
Verbū est instrumentū, quo exequitur Spiritus me/
ritū Christi, similiter & sacramentū & prædicator,
sed formalis iustificatio reliquitur soli fidei, cū sine
fide, nec deus, nec Christus, nec aliud quicq̄ proficit
ad iustitiā, De operib⁹ aut̄, vt iustificare dici possit,
dixi in sermone de Mamone iniquitatis. Hæc serio
dicta satis sint. Reuertamur ad ludentē meam testu/
dinem, & coronidis vice, videamus, vt Lutherū do/
ceat dialecticam.

Vbi in assertionib⁹ meis dixi, Paulū asserere,
nos fide iustificari, adieci, nō dicit Paulus, nos sacra/
mento iustificari, hic testudo quasi esset dialectices
aliqua parte perita, ostentat cornua sua pulchre, &
tamen cornutū syllogismū non facit, dicens, Vbi
hæc didicisti dialecticā, quod ab autoritate negatiue
ducis consequētiam? Non dicit, Lutherus non est
homo, ergo est asinus. Quis rogo, non ad exsta/
sim miretur testudinis tam aptū & argutū elenchū?
Hæc scz est illa dialectica tam acuta, posse dicere,
Ergo tu es asinus? Quis tam ridiculū asinum e Lu/
thero facere queat, nisi venustissima ista testudo?
Respondeo tamen.

Et tu pulchra testudo, ubi didicisti Theologiam
& rem Christianam tuis prerancidis & sordidis con/
sequentiis regulis metiri? scz diuinas literas, putas
Sophisticas nugas esse? Satis declaras hic sacrilege
Coclearis, quid ex animo sentias de rebus spiritus,
dum inter eas & nostras prorsus nihil discernis. Quo/
ties rogo dixi & scripsi, in re Christiana, nihil esse
asserendum, quod scriptura non habet? Quod toties
mandat scriptura, quod hilarius quoque docuit, & ipse tam
Hieronymus quam Augustinus, quorum hic scribit Solis eis libris,
qui Canonici dicuntur, hunc honorem tribuo. Ille ve/
ro, quod de scripturis autoritatem non habet, eadem
facilitate contemnitur qua probatur. Vides Chrisi/
pe testudinarie, quos viros tua asinifica & asinina
dialectica perat blasphemis suis? In rebus igitur sa/
cris vehementissimus & robustissimus locus est, ar/
guere ab autoritate negatiue.

Sed tantus Dialecticus, qui aptum facit exemplum
huius Topice dum dicit. Non dicit Lutherus non
est homo, ergo est asinus, scz loco negatiue infert affir/
matiuam, cum dicere debuisset hoc modo, non dicit
Lutherus non est homo ergo non est homo. Hec
enim sequela nihil valet in hac topica. Furie & in tem/
perie totum hominem agitant sicut solent sophistas, ut
sua propria neque intelligant nec si intelligant, comode
viti possunt. Vade ergo tu sordidum & popinarium
Coclear, cum tua inepta & insulsa dialectica, & inter
ollas & farragines tuas saltem illa disce apte vti, ut
veniā demus, si in re sacra perperam vtaris. Ego apti/

ore exemplo docebo te hanc Topicam scz Fracofor/
dientes negant testudini suę cor & cerebrum esse.
Ergo testudini suę nihil est cordis & cerebri. Tu vi/
denis an valeat consequentia.

Verum quid ego hic facio nisi vt bis stolidus
& insanus fia ipse, qui cū tum stupido & stolido ca/
pite & verba & tempora perdo? Quid em̄ cum co/
tandem efficies qui nouo mōstro prodit, & Eccle/
się autoritatē palam p̄fert verbo Pauli, seu, vt vult
prudētissime & callide locutus videri, sono Pauli?
Sic em̄ dicit. Dato, quod Paulus ita diceret (qd̄ non
facit) non tamen contra omnē Ecclesiam per verba
Pauli proteruire oporteret. Maior est sensus Eccle/
się q̄ sonus scripturę. Nō oportet vbiq; sonū sequi
scripturę. Quis tā parū de re Christiana nouit, qui
non olfaciat, quis spiritus halet hanc Mephitim per
armatā istā testudinē? scz vt nobis suspectas red/
dant scripturas, seip̄os aut̄ & suos Patres Ecclesiā
faciant, lallat ista nequiosus Sathanę Angelus, vt
tuti sint ab ore gladii spiritus, tū in eorū arbitrio sit,
quid & sentire & sonare oporteat. Sed Ch̄o gra/
tia, qui populis illuxit & docuit iam orbē, aduersus
hec sacrilega portēta, verbū dei palā blasphemātia,
sic sapere, vt etiā Angelo de cœlo nō credāt si aliter
doceat q̄ sonat scriptura, vt pereat Ecclesia illa testu/
dinacea cum suo sentimento & sonamento.

Si sonus Pauli suspectus & nō sequendus est,
quid sequendus est sonus Ecclesię? An Ecclesia
testudinis sensum sine sono aliquando prodit? So/
net ergo Paulus, Sonet Testudo, Sentiat Paulus,

sentiatur testudo cum sua Ecclesia. Doce, queso, quē
sonum & sensum sequemur? An denuo noua ratio
inuenienda est, vt nec Ecclesie sonū, sed sensum al/
terius Ecclesie sequamur? Sed ille sensus Ecclesie
iterū sono prodibit. Et iā quart⁹ erit son⁹ necessari⁹
quo tertius sens⁹ certificetur. Deinde quarto sono,
quintus sonus sonabit pro quarto sensu. Obsecro,
quis tandem finis erit sono & sensuum?

Scelerati & impii Sophistæ, qui postq̃ sacras
litteras pro stercore habuerūt, inuenerūt viam istam,
vt scripturā non per scripturam, sed per suos blas/
phemos sensus traderent, idq̃ tum Ecclesie autori/
tate factū iactarent, qui si toti sese dedissent, sicut
titulo iactāt, meditationi legis domini, non esset lo/
cus isti insulsæ & impiissime differentie soni & sen/
sus in scripturis. Nihil vnq̃ dictum est simplicius,
purius, clarius, facilius q̃ verbū dei id quod quando
scirent istę testudines, limacę talpę lacertę, eruce,
locuste Bruci, vespe, imo vipere & stelliones, qui to/
tus vitę diebus in terrenis suis volutabris reptant &
pereunt in imundicijs suis Sophisticis? Quid mirū,
si sonum gręcę lingue non intelligas, qui nihil gręcę
didiceris? Lux em̃ est verbum dei omnium hominum,
ad quod & venit in hūc mundū. Non aut homines
lux verbi dei sunt, vt Cocleus hic sacrilegus cum suis
infanit.

Dicamus ergo. Deus creauit coelū & terram &
accedat hic testudo & distinguat nobis sonū & sen/
sum, vt aliud ostēdat hic Mosē sonare & aliud sen

B 5
1002, 2015, 0913 21

tire. Hoc autem debet ostendere. Nam si verū est. quod vno loco scriptura aliud sonat & aliud sentit vbiq; de ea dicendum est, vt aliud sonet & aliud sentiat cum nulla sit ratio cur alicubi & non vbiq; nisi forte hic noua Testudinaceę Ecclesię dialectica ab autoritate affirmatiue sic arguatur. Nos testudines Aristotelis dei nostri gratia & sentimento nobis reseruamus de plenitudine potestatis ius decernendi, vbi scriptura aliud sonat & aliud sentit, ergo scriptura vbi testudines volunt aliud sonat & aliud sentit. Quid aut si & nos dicamus, cur non & Patres tui dicēdi sunt aliud sonare q̄ sentire cū nihil sit pugnātius dictum, q̄ quod Patres inter sese & inter sua quoq; ppria dicūt? Neq; em̄ in scripturis semel inuenies aliud sonari & dici, vbi in Patribus (qui sensum Coclei non sonum Pauli habent) centies aliud sonatur & aliud sentitur.

Sed vt dixi, reptilia ista immunda om̄ia versant & moliūtur vt scripturis iudicium derogent & sibi vendicent ideo quicquid scripturis tribui oportuerat sibi & suis tribuūt. Rursus quod sibi & suis tribui oportuerat Scripturis tribuūt, scripturis iudicari debent & ecce scripturas iudicant. Quid illis aliud merito dicetur q̄ illud Christi. Et iustificata est sapientia a filiis suis? Quod si hoc agerent, scripturas aliquoties figurate loqui, recte dicerent, aliud sonari (sed Sophistis grammaticę scz ignaris) & aliud sentiri. Nam dum Christus dicit. Ego sum lux mundi, certe Sophistis aliud sonat & aliud sentit, quod ad

sophistas prorsus nihil pertineat scire hic metapho-
ram esse sed proprietatem hic esse paruorum logi-
calium quæ dicitur alienatio vel remotio termini,
nam grammaticis nusq̄ & nunq̄ aliud sonat scriptu-
ra q̄ sentiat, vt quæ simplicissime loquatur.

Nunc aut testudines meæ sceleratæ, etiã in iis
locis arguunt scripturam hypocrisis, imo mendaciï,
vbi prorsus sine figuris, atq; adeo sine proprietati-
bus paruorum logicalium loquitur, vt est locus pro-
positus, fide iustificamur, hic aliud sonari & aliud
sentiri, vult Coclear meum, Sed finis hic esto cum
laruis nugandi, sicut em̄ recte dicitur. Solus deus
creauit cœlum & terram, licet scriptura tãtum dicat.
Deus creauit cœlum & terrã, cum nō sit alius crea-
tor. Ita nostra loquendi ratio exigit dicere. Sola fi-
des iustificat, licet scriptura tãtum dicat. Fides iusti-
ficat, cum nihil nisi fidem iustificare, ipsa clarissime
probet. Vale mi Nissene in Christo & testudini
tuæ dic, vt desinat tēpus perdere bonis ingeniis, suis
sentimentis & sonamentis, tum stolidis, tum impiis
prorsus.

Colum decent mulieres.

Et Colus decet mulieres.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines.

10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

105

105






2
H 3576 16

(X 2210020)

~~16~~
Rom
108.





ADVERSVS ARMATVM
VIRVM COKLEVM.
MARTINVS LV/
THERVS.

VVITTENBERGAE,
ANNO M. D.
XX III.

Colum mulierem decet.

